

554. IV. Ex obligatione debiti reddendi et ex individua vitae societate quam matrimonium inter conjuges inducit, sequitur pro utroque obligatio natura sua gravis **mutuae cohabitationis**. Attamen non eodem modo virum et uxorem idem officium adstringit.

1^o *Uxor*, cum sit marito subdita (Vol. I. n. 353), domicilium mutantem sequi debet, etiamsi nulla causa necessaria aut justa maritum ad hanc mutationem impellit. Contraria autem consuetudo, utpote juri divino opposita, reprobanda est. (Sanch. l. 1. disp. 41. n. 3) Excipe tamen: *a*) si ante matrimonium inter utrumque convenerit domicilium mutatum non iri, neque improvisa causa mutationis supervenerit; — *b*) si vir ob turpem causam domicilium mutaret, puta ad impuros amores fovendos: conjux enim non tenetur ejus peccato cooperari; — *c*) si uxor per mutationem exponeretur probabili periculo gravis detrimenti, praesertim vitae. Attamen, si vir justam causam migrandi habeat, puta quia in regione sua inopia magna laborat, prudenter pensanda erit utilitas vel necessitas migrationis cum detrimento quod uxorem maneat si virum sequatur, quod autem praevaleret eligendum erit. (Ball. P. n. 640)

Virum vagum non tenetur uxor sequi, nisi hunc vagandi morem jam ante matrimonium cognovisset ideoque ad id se implicite obligasset, vel si vir vagaretur vera necessitate coactus, non autem ob meram delectationem vel utilitatem. Virum qui alio se transfert ad breve tempus, non tenetur sequi uxor; tenetur vero, si alibi commoraturus est diutius et ex justa causa. (Sanch. l. c. n. 11)

2^o *Maritus* uxorem alio migrantem vel hinc inde discurrentem sequi non tenetur, nisi quando haec migratio vel peregrinatio fit ex causa necessaria. Ipse enim non tenetur sequi ut subditus, sed tantum ne uxorem immerentem privet usu juris ad communem vitam et copulam conjugalem. (Ball. P. n. 642)

CAPUT VIII.

DE DISSOLUTIONE MATRIMONII.

§ 1. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII FIDELIUM QUOAD VINCLUM.

555. I. Nulla auctoritate, etiam R. P., nullamque ob causam, etiam adulterii, solvi potest, quoad vinculum, **matrimonium fidelium consummatum**. Hanc catholicam veritatem adversus haereticos sui tem-

poris defendit Conc. Trid. (Sess. 24. can. 7. de Sacr. Matr.), et solent demonstrare Dogmatici.

II. Matrimonium ratum fidelium, quamvis ob nullam causam intrinsicam quoad vinculum solvi possit, duplici tamen in casu dissolvitur:

1^o *Ipsa jure in professione religiosa sollemni*. Ita definivit Trid. (l. c. can. 6): " Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. " Effectum hunc quidam DD. ex Jure divino repetunt; sed longe communior et probabilior sententia illum adscribit Juri mere ecclesiastico, tamquam peculiarem effectum generalis illius potestatis quam statim dicemus R. P. inesse. Ratio praecipua est: sollemnitatem voti, quae ad hunc effectum producendum necessaria est, a solo Jure ecclesiastico repetendam esse (n. 84), ac proinde vix explicari posse quomodo hic effectus voto sollemni adnexus esset jure divino. Propter hoc professionis religiosae privilegium statuit, Alexander III (3. Decr. t. 32. c. 7) bimestre concedendum esse ei qui, contractis et non consummatis nuptiis, de ingressu in religionem deliberat, ut statuatur quid agere velit. Hinc S. Alph. (n. 958) cum pluribus Theol. conclusit (quo jure, ipsi viderint) quemlibet conjugem licite posse intra bimestre debitum negare, quamvis non habeat animum intrandi religionem, quia utitur jure suo. Cfr. n. 513.

Ex eodem privilegio deducitur licitum esse alterutri conjugum religionem ingredi, etiam invita altera parte, quamdiu matrimonium non est consummatum. Ubi vero libere consummatum est, jam nequit alterutra pars religionem ingredi nisi altera pars consentiat, vel per adulterium aut haeresim perpetuae separationi causam dederit. Cfr. Piat. Prael. J. Reg. I. p. 51 seqq.

2^o *Speciali dispensatione ex gravi causa per R. P. concessa*. Hanc potestatem R. P. inesse plures veteres DD. negarunt; apud S. Alph. (n. 959) dicitur adesse duplicem sententiam probabilem. Verum hodie tam manifesta est praxis S. Sedis tales dispensationes concedentis, ut nullus catholicus scriptor jam neget vel negare possit hanc potestatem comprehendendi universali facultate ligandi et solvendi quam Christus Petro ejusque successoribus tribuit.

§ 2. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII FIDELIUM QUOAD TORUM ET COHABITATIONEM.

556. Catholica doctrina est " ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve

tempus fieri posse. „ (Trid. l. c. can. 8) Harum causarum aliae ad perpetuam, aliae ad temporaneam tantum separationem sufficiunt.

I. Praecipua causa perpetua separationis est alterius partis **adulterium**. Hoc enim directe fidei conjugali repugnat, ac proinde, ex ipsa natura contractus matrimonialis, datur innocenti jus discedendi ab adultero, cum fidem frangenti fides servanda non sit. Nec refret utrum adulterans sit vir an uxor : nam par est utriusque obligatio ad fidem servandam.

Ut autem adulterium causam separationis praebeat, requiruntur *condiciones sequentes* :

a) Ut sit actus carnalis per copulam consummatus. Sufficit tamen, juxta communem sententiam, concubitus sodomiticus vel bestialis. (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 19. n. 103)

b) Ut sit adulterium formale : nam jus divortii competit propter solam *injuriosam* fidei conjugalis violationem.

c) Ut pars quae divortium instituere velit, non sit et ipsa adulterii rea ; nam paria delicta, quando agitur de utilitate privata, compensatione tolluntur. Hinc, si facta est separatio ob adulterium et postea adulterat pars innocens, haec tenetur ad cohabitationem instaurandam. Attamen, si auctoritate judicis facta est separatio, probabile est hanc obligationem non oriri (S. Alph. n. 967), ac proinde in hoc casu redintegratio cohabitationis suadenda, non imponenda foret.

d) Ut adulterium non fuerit condonatum, sive expresse, sive implicite ; quod contingeret, si pars innocens scienter et sponte alteri parti signa affectus conjugalis dedisset, puta per copulam, oscula, etc.

e) Ut morali certitudine de adulterio constet. Sufficiunt tamen, etiam in foro externo, tales praesumptiones ut quilibet prudenter credere possit adulterium commissum esse, ex. gr. si uxor, alias malae jam famae, sola cum solo in loco ad peccandum apto reperiatur. (Schmalzgr. l. c. n. 115 seqq.)

Quaedam *practica monita* de separatione ob adulterium adjiciemus :

1^o Per se non tenetur pars innocens dimittere partem adulteram, cum nemo teneatur uti jure in sui favorem concesso. Plures AA. censent virum quandoque teneri ad dimittendam uxorem adulteram, sive ratione scandali (S. Th. Suppl. q. 62. a. 2), sive ob praeceptum correptionis fraternae ; idem opinantur quidam (S. Alph. n. 964) de uxore relate ad virum adulterum. Sed ad scandalum avertendum non deerunt plerumque alia media ; a correptione autem per dimissionem facienda fere semper excusabitur pars innocens, sive quod istud medium adhiberi non poterit sine gravi incommodo, sive quod malum sic potius augetur quam cessaret. (Vol. I. n. 219) Ideo obligationi isti tot apponuntur restrictiones,

ut vix unquam ad praxim sit deducenda : unde quidam (D'Annib. III. n. 471. nota 27) eam prorsus negant.

2^o Facto divortio, pars innocens semper servat jus revocandi partem adulteram, nisi haec forte cum tacito vel expresse illius consensu statum mutasset, puta per ingressum in religionem. In hoc conveniunt omnes, si privata auctoritate institutum est divortium, et plerique, paucis contradicentibus, si divortium sententia judiciali inductum est : non est enim in odium innocentis retorquendum quod tantum in ejus favorem concessum est, contra regulam Juris 61^{am} in 6^o. (S. Alph. n. 967)

557. II. Altera causa divortii etiam perpetui est **mutuus consensus**. Ob hanc rationem possunt semper separari quoad torum, modo absit periculum incontinentiae et honestus finis intendatur. Similiter dicendum de suspendenda cohabitatione ad breve tempus, ex. gr. ob iter instituendum. Perpetua autem separatio quoad habitationem vix licite fiet, nisi ut uterque religionem ingrediatur vel vir sacros ordines suspiciat, uxore ad religionem transeunte. Poterit quoque una pars jam senex, neque de incontinentia suspecta, in saeculo manere, emisso tantum voto castitatis, dum altera religionem ingreditur vel sacros ordines suscipit. Qua de re, a moribus nostris aliena, plura videsis apud Canonistas in Decr. l. 3. t. 32. *De conversione conjugatorum*.

III. Tertia causa divortii, est **haeresis** vel **apostasia** matrimonio superveniens. Ita statuit Jus Canonicum (Decr. l. 4. t. 19. c. 6, etc.) ob periculum quod plerumque parti catholicae ejusque proli imminet e consortio haeretici.

Quodsi separatio facta sit proprio Marte, emendatus iterum recipiendus erit ; si vero facta sit post sententiam judicis ecclesiastici damnantis partem haeticam vel saltem declarantis eam in haeresim lapsam esse, nulla hujusmodi obligatio in foro conscientiae imponi potest. Etenim, licet plures negent ex haeresi vel apostasia oriri causam separationis perpetuae, nemo inficiari potest probabilem esse sententiam oppositam, quam clare videtur efferre cap. 6. cit. et plures graves AA. tuentur. (Sanchez, l. 10. d. 15. n. 19 ; De Becker, p. 398) Quare post talem judicis sententiam licet parti innocenti religionem ingredi.

558. IV. Praeterea tamquam causae divortii non perpetui afferri solent :

1^o **Periculum animae**, vid. si conjux compartem ad grave peccatum pertrahit, ex. gr. ad haeresim amplectendam, ad gravia peccata contra castitatem conjugalem, etc. Ita separari posset uxor catholica a viro protestante, qui violaret pactum de liberis omnibus in vera religione

educandis. (Ball. P. n. 801) Non esset tamen pars innocens obligata ad divortium faciendum, nisi e perversitate compartis oriretur periculum proximum peccandi, quod aliter removeri non posset.

2^o **Periculum vel crudelis tractatio corporis** : quod praecipue e saevitia mariti in uxorem contingere potest. Quanta autem esse debeat hujusmodi saevitia ut alteri parti jus discedendi tribuat, ex adjunctis locorum et personarum prudenter eruendum est : quae enim ab uxoribus plebeiis levia censentur, saepe cuilibet honestioris condicionis uxori intolerabilia videbuntur. (Ball. P. n. 792) Huc quoque spectat morbus contagiosus e quo probabiliter alteri parti imminet periculum infectionis, vel amentia quae cohabitationem periculosam faciat (Schmalzgr. l. c. n. 178 seqq.)

3^o **Molesta cohabitatio** ex frequentia jurgiorum et rixarum, quas conjugum alterius inveterata et indomita improbitas solet excitare : quia hujusmodi incommodorum metus est gravis et cadens in constantem virum ; immo in hujusmodi conjugio salus corporis et animae periclitatur. (Schmalzgr. l. c. n. 144)

V. Divortium quoad torum et habitationem, saltem pro foro conscientiae, institui potest propria auctoritate : 1^o Propter adulterium, sive notorium, sive etiam occultum, sed innocenti moraliter certo cognitum. Verum, in casu adulterii occulti, plerumque licebit sola separatio tori : quia separatio quoad habitationem generatim grave scandalum pareret. (Schmalzgr. l. c. n. 111 seqq.) — 2^o Probabiliter propter haeresim (Reiff. in l. 4. Decr. t. 19. n. 35 ; D'Annib. III. n. 471), ut deducitur ex can. *Idololatria*. (Decr. Grat. caus. 28. q. 1)

Regulariter recurrendum est ad judicem ecclesiasticum, ut fiat separatio quoad habitationem ob reliquas causas, speciatim ob saevitiam vel molestam cohabitationem. Publica enim Ecclesiae auctoritas necessaria est ut solvatur obligatio publice per sacramentum matrimonii contracta ; insuper contraria sententia latam viam multiplicandis divortii sterneret. Attamen excipiendus casus quo periculum sit in mora, puta ob fera alterius consilia, vel quo facile nequeat pars innocens judicem adire aut coram eo litigare aut causam probare. (S. Alph. n. 971) Hodie, cum fideles, saltem in pluribus regionibus, de adeundo iudice ecclesiastico vix cogitent et momenti confessario aegre parituri sint, saepe in foro interno dissimulanda erit haec obligatio cum iis qui alioquin causam discedendi satis certam habeant : ne frustra, cum animae detrimento, a bona fide deturbentur. Facilius etiam de eadem obligatione silendum erit cum iis qui, absque scandalo, jam separati vivunt, neque causam divortii tollere possunt, puta cum uxoribus quae, post diuturnas saevitias, maritum intractabilem dereliquerunt vel etiam a civili aucto-

ritate separationem obtinuerunt. (Aertnys, Th. Mor. II. n. 537) Sed ante factum, cautissime procedendum est in consulenda vel permittenda separatione quoad habitationem : nam saepe timendum est ne confessarius decipiatur ab uxoribus mariti defectus aegentibus, proprios dissimulantibus ; insuper remedio isto malum ingravesceret, si causa separationis coram tribunali civili probari non posset et vir, juxta facultatem sibi a lege civili factam, uxorem repeteret.

§ 3. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII INFIDELIUM.

559. I. Matrimonium inter duos infideles contractum, quamdiu uterque in infidelitate remanet, sola morte alterutrius solvi potest, etiamsi nondum fuerit consummatum. Christus enim (Matth. XIX, 6) matrimonium ad primaevam suam indissolubilitatem revocavit, non tantum pro fidelibus, sed pro universo genere humano, ut definit Innoc. III c. *Gaudemus*, de Divortiiis. (Decr. l. 4. t. 19) Nulla autem auctoritate eorum matrimonium solvi potest : non a principe saeculari, cui Deus talem potestatem non contulit ; neque a R. P., cui non subsunt.

II. Matrimonium, in infidelitate contractum vel etiam consummatum, dissolvi potest quoad vinculum, quando, alterutra parte ad fidem conversa, altera renuit baptizari vel saltem parti conversae sine contumelia Creatoris cohabitare. Constat e cap. *Quanto*, de Divortiiis (l. c.) aliisque innumeris documentis Apostolicis (Coll. P. F. nn. 1305-1362) et frequenti praxi in locis missionum.

Hoc privilegium, neophytis in favorem fidei concessum, communiter dicitur juris divini a S. Paulo promulgati (1 Cor. VII, 12 seqq.), ideoque privilegium Paulinum vel **casus Apostoli** nuncupatur. Breviter tantum hujus privilegii naturam et condiciones explicabimus, pleniorum hujus amplissimi argumenti expositionem ad Juris Canonici praelectiones remittentes : pertinet enim proprie ad forum externum. (1)

1^o Ut locus sit dissolvendo matrimonio novoque vinculo contrahendo, necessarium est ut pars infidelis *discedat* (1 Cor. l. c.), vid. ut vel omnino renuat cohabitare parti ad fidem conversae vel cum eadem habitare nolit *sine contumelia Creatoris*. Haec autem haberetur quotienscumque ipse infidelis (non tamen aliquis infidelis compartis consanguineus) fidelem ad grave peccatum pertraheret, ex. gr. contra fidem, contra castitatem conjugalem (Coll. P. F. n. 1323), vel nomen Dei

(1) Accuratam rei expositionem, recentibus documentis S. Sedis accommodatam, habes ap. cl. De Becker, op. cit. p. 412 seqq.

blasphemaret, vel compartem ejusve familiam a christiana religione colenda retraheret, vel concubinas dimittere nollit. (Coll. P. F. n. 1353) Maneret eadem facultas parti fideli etiamsi, post baptismum, per plures annos cum infideli vixisset iterumque matrimonium consummasset. Sed nequaquam extendenda est ad casum prorsus diversum quo fidelis cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus duxit infidelem. (S. Inqu. 5 Aug. 1759; Coll. P. F. n. 1312)

2º Regulariter pars infidelis, post baptismum alterius partis, interpellanda est duplici quaestione: prior est, num velit converti; posterior, si converti noluerit, num saltem velit pacifice et sine contumelia Creatoris fideli cohabitare. (S. Inqu. 10 Dec. 1885; Coll. P. F. n. 1361) Finis hujus interpellationis est ut constet num reapse *discedat* infidelis, quae condicio necessaria est ad utendum privilegio Paulino. Numquam autem licet, una vel utraque interpellatione omissa, novum inire matrimonium, nisi S. Sedis dispensatio obtenta fuerit. Si quando novum matrimonium absque interpellatione et dispensatione ineatur, quidam (Ball. P. n. 601) putant id valere, dummodo eo ipso momento infidelis reapse dissentiret: nituntur praesertim paritate cum casu conjugis qui temere novas nuptias attentet in dubio de compartis obitu. Sed jam sacrae Congr. Inqu. et Prop. Fidei in casibus particularibus tale matrimonium irritum dixerunt. (Coll. P. F. nn. 1296, 1325) Practice renovandus erit consensus, praemissa interpellatione vel dispensatione, aut, si id fieri nequeat, in bona fide relinquendi erunt: novum autem matrimonium permitti non poterit antequam casus a S. Sede solutus fuerit. (Instr. S. C. de P. F. a. 1883, n. 45; Coll. P. F. n. 1573)

3º S. Sedes, per organum S. Inquisitionis vel S. C. de Prop. Fide, solet dispensare a praedicta interpellatione, ob causas gravissimas, puta quando pars infidelis versatur in regione longinqua in qua vix aut ne vix quidem conveniri potest, quando gravia mala ex interpellatione timentur, etc. Facultatem hanc dispensandi solet communicare Ordinariis missionum sub certis restrictionibus, quae ex indulgentiarum tenore et S. Sedis praxi cognoscendae sunt stricteque servandae. Pro locorum et casuum varietate interdum dispensatur ab utraque interpellatione faciendae; interdum a posteriore tantum, ut cum fit facultas "dispensandi cum Gentilibus et infidelibus, plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti." (Inter facultates Episcop. Stat. Foed. Amer., Vic. Apost. Soc. Miss. ad exteros, etc.) Ut autem jam edixerant Gregor. XIII et Bened. XIV et nuper iterum declaravit S. Inqu. (4 Febr. 1891; Act. S. S. t. 26. p. 62): "Matrimonium ejus cum quo dispensatum fuerit, etiamsi postea innotuerit conjugem infidelem suam voluntatem juste impeditam declarare non

potuisse et ad fidem etiam tempore initi matrimonii conversam fuisse, nihilominus numquam rescindi, sed validum esse debet. „

4º Matrimonium, durante infidelitate contractum, non solvitur in baptismo, sed tantum eo momento quo novum matrimonium initur. (S. Inqu. 11 Jul. 1866; Coll. P. F. n. 1353)

5º Facultas facta parti conversae, in casu Apostoli, ad ineundas novas nuptias, per se valet tantum ad matrimonium cum alia parte catholica contrahendum. Igitur, si duceret infidelem, istud novum matrimonium nullum foret, propter impedimentum disparitatis cultus, nisi forte in isto dispensationem acceperit: quam tamen episcopi in hoc casu dare nequeunt. (S. Inqu. 15 Sept. 1858; Coll. P. F. n. 1349) Si duceret partem baptizatam, sed haeticam, matrimonium validum quidem foret, sed illicitum ob prohibitionem Ecclesiae, a qua in tali casu non dispensatur.

6º Privilegium Paulinum probabilius extenditur ad infideles, qui ad sectam aliquam acatholicam convertuntur: nam haeretici baptizati, ex mente Patrum, non videntur excludendi a censu *fratrum* quibus hoc privilegium agnoscit Apostolus (Ball. P. n. 720 seqq.): inmo in hunc sensum respondisse S. Sedem anno 1876, refert Konings. (Th. Mor. II. p. 394) Quare de talibus matrimoniis videtur judicandum e regulis datis pro casu quo pars catholicam Ecclesiam ingressa novas nuptias init absque ulla dispensatione.

560. III. Probabilius matrimonium in infidelitate consummatum, ex gravi causa potest solvi auctoritate R. P., quando una saltem pars ad fidem conversa est et nondum post utriusque conversionem iterum consummatum est. (S. Alph. n. 956; Ball. P. n. 703 seqq; D'Annib. III. n. 470; De Becker, p. 439 seqq., etc.)

Hujus opinionis veritas imprimis elucet e praxi S. Sedis, quae, ut supra dictum est, pluries declaravit matrimonia eorum qui dispensationem ab interpellatione acceperint valida fore, etiamsi pars quaecumque in infidelitate contractum erat, tempore novi matrimonii, jam esset ad fidem conversa, ideoque nullatenus ageretur de casu *infidelis* discedentis. Quamquam enim plures AA. (ut Bened. XIV, de syn. 1. 13. c. 21. n. 4. seqq.; de Angelis, Prael. Jur. Can. t. 3. parte 1ª. p. 320 seqq., etc.) conantur, etiam in hoc casu, acta S. Sedis explicare unice de juris divini declaratione, nullatenus apparet quomodo rationabiliter explicari possit validum esse hoc posterius matrimonium, nisi prius fuerit auctoritate Apostolica solutum. Immo rem ita intellectam esse a S. Pio V et Greg. XIII, clare apparet e documentis quibus missionarios Indicarum regionum instruxerunt. (Coll. P. F. n. 1306 seqq.) Concessioni enim hanc rationem praemittit Gregorius XIII: "Idcirco Nos attendentes

hujusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censi ut, necessitate suadente, dissolvi non possint... „ Quaestionem hanc fusius non tractabimus, cum mere speculativa sit : omnes enim consentiunt de effectibus dispensationum, litigant tantum de ratione qua isti effectus explicandi sint. Ipsa S. Sedes, in praxi sua hodierna, renuit concedere expressam dissolutionem matrimonii in infidelitate contracti et a dirimenda lite speculativa in suis responsis cavet.

IV. Conjuges infideles separationem a toro vel habitatione facere possunt, quando occurrit inter eos aliqua e causis quae supra pro conjugibus fidelibus probatae sunt. (n. 556 seqq.) Quando autem una pars ad fidem conversa est, nequit generali regula definiri, num cum parte quae manet infidelis in cohabitatione pergere possit vel debeat. Ab ea sane separari debet, si ex ejus consortio timet proximum gravis peccati periculum, vel si episcopus judicat, pro moribus regionis et casus circumstantiis, non esse permittendam cohabitationem, puta quia propter vigentia castarum praejudicia, manifestum est promissa violatum iri. (Coll. P. F. n. 2183 ; Bened. XIV, de Syn. l. 13. c. 21. n. 1) Probabilius autem nulla datur per se stricta obligatio pergendi in cohabitatione. Ut enim rescripsit S. Inq. (29 Nov. 1882) : “ Quodsi (episcopus) nullum esse periculum in cohabitatione viderit, jubeat exspectare infidelem vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligit juxta Pauli Apostoli *consilium*. „ (Coll. P. F. n. 1358)

N. B. Interdum, in regionibus praesertim maxime barbaris, infideles ipsam velut notionem matrimonii amiserunt et tantummodo ad tempus, ferarum more, junguntur. (n. 459) Sed diligens examen in singulis casibus instituendum est ut constet num reapse numquam intenderint se vinculo perpetuo cum uxoribus suis unire. Non requiritur tamen plena certitudo de defectu consensus ad validum matrimonium requisiti. Nam cum iis qui ab infidelitate convertuntur, licet in dubio de valore matrimonii ante contracti eam sequi opinionem quae sit magis favorabilis neophytis, siquidem ; “ In re dubia in favorem fidei pronuntiandum esse, constans regula est. „ (Bened. XIV, Litt. 15 Dec. 1761) Ideo S. Inq. 8 Jun. 1836 (Coll. P. F. n. 1332) pro infidelibus requirit tantum “ ut *serio dubitari possit* matrimonia hujusmodi ad instar belluarum censenda esse „ , et similia respondit 18 Maii 1892. (Coll. P. F. n. 2185)

APPENDIX.

DE DIVORTIO CIVILI.

561. I. *Lex civilis* quae jubet divortium ob certas quasdam causas pronuntiari, nullo habito respectu ad verum vinculum matrimoniale, in se mala est. Usurpat enim auctoritatem in causis quae privative ad solos judices ecclesiasticos pertinent. (Trid. Sess. 24. de Sac. Matr. can. 12) Insuper per se ducit ad mala gravissima, vid. ut, cum juribus et honore legitimi matrimonii, foveantur nexus adulterini ab iis qui divortium mere civile obtinuerint, ut sanctitas et indissolubilitas matrimonii christiani obfuscet, ut liberi adulterini pro legitimis habeantur, etc. Quandoque adeo omnia pervertit lex civilis, ut vetet quominus conjuges, semel divortio separati, umquam iterum conveniant cum legitimi matrimonii juribus. (C. C. a. 295)

II. Probabilius non est intrinsece mala *pronuntiatio divortii* inter fideles, qui legitimo matrimonio conjuncti sunt. Ita sentiunt Ball. P. (n. 818 seqq.), Allègre (*Le Code civil commenté*, t. I. 1^{re} partie, p. 302 seqq.), III. Waffelaert (N. R. Th. t. 14. p. 600 seqq., etc.), Sabetti (n. 559 seqq.), De Becker (op. cit. p. 401 seqq.), etc. contra Bucceroni (Enchir. Mor. 1^a edit. p. 219), Gasparri (Caus. de Matr. n. 1248), Matharan (op. cit. n. 125), Rosset (de Sacram. Matrim. n. 4085 seqq.), etc.

Ratio asserti est : non esse intrinsece malum id quod in essentialibus suis elementis nullam repugnantiam involvit cum lege morali. Jamvero civilis divortii pronuntiatio spectata in se, seu independenter ab intentione legislatoris et eorum qui divortium petunt vel pronuntiant, nullam hujusmodi repugnantiam involvit. Etenim in se spectata nihil aliud est quam destructio effectuum civilium qui per civile matrimonium inducti sunt. Igitur, sicut matrimonium civile potest se habere omnino indifferenter relate ad vinculum veri matrimonii christiani, ita ejus destructio per sententiam divortii potest esse plane indifferens ad idem vinculum conservandum.

Divortii pronuntiationem malam fieri posse ex perversa intentione eorum qui illam petunt vel efficiunt, manifestum est : sed patet quoque hujusmodi intentionem ab eadem prorsus separari posse, etiam quando ii qui hujusmodi civilem separationem postulant, legitimo matrimonio juncti sunt. Possunt enim illam petere, quia aliter obtinere nequeunt aliquos effectus ad quos in conscientia jus habent, ex. gr. separationem